

table, c'est donc ce jour-là, en 1228, qu'il faut placer le décès du treizième abbé général de Prémontré, d'autant plus que cette date coïncide avec celle de huit autres obituaires norbertins, dont il n'y a aucune raison de rejeter en bloc les enseignements.

Emile BROUETTE.

Abbas Theodolus Schlegel in odium fidei necatus (1529).

C. M. HUGO, in *Annalibus Ordinis*, tom. II, agens de historia abbatiae S. Lucii Curiensis, in Helvetia, col. 107, haec scribit de abbate Theodulo Shlegel (ita nomen refertur a Hugo) : « Publicus Cathedralis Ecclesiae Curiensis Concionator ; et eruditus Theologus, nascenti Calvinianae haeresi acerrime se opponens, et in concertationibus publicis errorem profligans, invidiam et odium incurrit Calvinistarum, a quibus captus, illus, et capite plexus est anno 1529. Abbate sic decollato, haeretici Curienses bona S. Lucii invaserunt ».

Ph. BAYRHAMER, *Historia imperialis Canoniae Roggenburgensis*, Ulm 1760, pp. 82-83, paulo fusius de abbate Schlegel scribit : « In Abbatem electus hospitio peregrinos, subsidio pauperes, consilio patriotas fovit. Sed dum illi caeperunt audire emissarios Orci, commissarius Dei odio fuit. Ad tribunal citato per sententiam Cumano asino dignam interdictur, ne ultra pulset campanas, aut Sacra celebret. Appellans ad comitia Theodulus, non curat interdictum. Offensa Calvini turba, dum prima Januarii nocte (1529) somnum capit Praesul, capit Theodulum, ut caperet inter vincula, diem instare ultimum. Decies appensus trochleae, decies immotus perstitit in fide. Tandem lata sententia, ut Theodulus depeculator S. Lucii, proditor patriae, et hostis civium capite plecteretur. Passus est Abbas gloriosus die post festum SS. Vincentii et Anastasii, omine nequaquam fallace, cum Vincentio fortiter vicisse, et felicem cum Anastasio anastasi habuisse in coelis. Abbate sic decollato Curienses bona S. Lucii invaserunt ».

Plura legi possunt de vita et morte Abbatis in historia canoniae S. Lucii Curiensis, conscripta a J. MAYER, *St. Luzi bei Chur. Geschichte des Klosters, der Kirche und des Seminars*. Lindau, 1876 ; altera ed. : Einsiedeln, 1907, 50-62. Recentius vero de eo scripsit K. FRY in *Zeits. für Schweiz. Kirchengesch.*, XXIV, 1930, 62-68.

Quae omnia concinne proponuntur a E. F. J. MULLER, art. *Schlegel* : *Lex. für Theol. u. Kirche*, IX, 1937, col. 266 : « *Schlegel*,

Präm.-Abt v. St. Luzzi (seit 1515) u. Generalvikar des Bischofs in Chur, † 23.1.1529. Hatte in Tübingen u. Heidelberg studiert, war ein guter Prediger, machte sich durch mannhafte Verteidigung des kath. Glaubens, bes. auf dem Ilanzer Religionsgespräch 7.1.1526, bei den Zwinglianern verhasst. Er wurde gegen seiner Beziehungen zu Gian Giacomo di Medici, Kastellan v. Musso, u. Teilnahme an einer angebl. Verschwörung, um dessen Bruder Gian Angelo Medici (nachmals Papst Pius IV) auf den Bischofsuhl v. Chur zu bringen, von den evangelischen Bündner zum Tode verurteilt u., da er, von den Folterqualen erschöpft, den Richtplatz nicht mehr erreichen konnte, auf offener Strasse enthauptet ».

Prodiit, anno 1954, apud Universitätsverlag, Freiburg (Helvetia) nova quaedam monographia, pp. XVI-375 constans, edita uti Beiheft 13 : Zeitschr. für Schweizerische Kirchengeschichte. Auctor monographiae, Prof. Osk. VASELLA, prof. Univ. Friburgensis in Helvetia, monographiam hanc ita inscripsit : *Abt Theodul Schlegel von Chur und seine Zeit. 1515-1529. Kritische Studien über Religion und Politik in der Zeit der Reformation.*

Discussiones critico-historicae omnium fontium qui, accuratissima investigatione instituta, detecti fuerunt, auctorem adduxerunt ad conclusionem quae hucusque apud catholicos constabat : Abbas Schlegel a Calvinistis in odium fidei interfectus fuit.

Puncta praecipua argumentorum Prof. Vasella referimus.

In historia ecclesiastica Helvetiae, processus adversus abbatem Schlegel institutus, eiusque tragica mors saepius in memoriam revocantur. Plenissime ergo, ita Prof. Casella, meretur haec historia ut omni cum cura examinetur et inquisitione positive-critica pertractetur.

Testimonia personalia ipsius Schlegel desunt ; valde rari sunt praeterea fontes stricte historici ipsius Abbatiae, ita ut biographia plus minusve completa abbatis Schlegel, nisi novi fontes historici detegantur, impossibilis videatur. Pro processu autem, qui finem habuit capitis damnatione, fontes varii generis habentur ; cuius valor et tendentia stricte et obiective prae oculis haberi debent. Quod ultimum, attentionem specialem auctoris libri requirebat et obtinuit.

Indicatis fontibus et literatura existentibus de et circa Schlegel, in capite primo examen instituit abbatiae Lucensis et abbatis Schlegel

uti sese habebant aetate quā magnae perturbationes religiosas Helvetiam quassare incipiebant.

Vita abbatis Schlegel absque dubio aliquid tragicum secum fert. Nullus Abbas Helvetiae illa aetate talem locum eminentem in vita religiosa obtinuit; qui, post modicum temporis intervallum, mortem tali modo hominibus ignominiosam subire debuerit. « Es ist Symbol einer Welt von unvergänglicher Grösze durch den Einsatz so vieler Persönlichkeiten im Kampf um das Letzte des Menschen, um den Glauben, den Sinn und die Zielsetzung des Lebens überhaupt » (p. 3).

Abbas Schlegel ortus esse videtur in regione Curiensi (Chur). Natus circa annum 1485, die 13 Junii 1504, inscriptus est inter alumnos Universitatis Tubingensis, simul cum confratre S. Lucii, Florino Janut. Tunc Schlegel adhuc laicus erat. Die vero 9 Septembris 1506, Schlegel Ordinem nostrum ingressus erat: illa enim die inscribitur in Matricula Universitatis Tubingensis: « Frater Theodulus Schlegler (sic) de conventu sancti Lucii ordinis, Praemonstratensium ». Mense Novembris, in dicta Universitate, obtinet Baccalaureatum in Artibus; die 10 Octobris 1509, Licentiatum in Artibus.

Monasterium S. Lucii in Capitulo generali anni 1453 ad Abbatiam evectum erat. Summus Pontifex Pius II annis 1459 et 1462 usum pontificalium concessit. In abbatiali ecclesia specialis devotio fovebatur erga S. Lucium; cui anno 1498, episcopus Curiensis novas indulgentis concesserat. Ineunte saeculo decimo sexto, exstabat in monasterio schola quaedam; lectores vero videntur potius fuisse quaesiti inter non-Praemonstratenses. Abbatia S. Lucii nonnullas paraecias incorporatas habebat. Pro posse, hae paraeciae regebantur a propriis confratribus. Verum « die Auffassungen über das Armutsgeübde waren sehr locker geworden, im Kloster wie im Orden, nicht unbeeinflusst durch die Praktiken im Benefizienwesen » (p. 13).

Abbatia S. Lucii ineunte saeculo decimo sexto, non multos canonicos habebat. In electione anni 1497, erant solummodo 10 canonicelectores, inter quos duo aegroti. In electione anni 1515, in qua Schlegel abbas electus est, octo electores votum emisissent. Ex altera parte, scimus anno 1505, tres novitios in monasterio susceptos fuisse.

In electione anni 1515, Schlegel, tunc prior Abbatiae, in abbatem electus est. Abbas Roggenburgensis erat pater-abbas S. Lucii. Ante electionem, electores S. Lucii plurima vota expresserant circa modum agendi et administrandi futuri abbatis; haec vota ab abbate Roggenburgensi in ordinatione decem annotationum fuerant col-

lecta ; quae ordinationes practice nihil aliud procurare student quam assecurare bonam administrationem bonorum abbatae et confratrum, iuxta praxes illius aetatis. Additur in futurum saltem quinque canonicos in abbazia debere residere, ut simul cum alumnis celebratio cultus choralis assecurari possit. Pro hac residentia et praesentia in servitio choralis, peculium quoddam statuitur.

Factus vero Abbas, triginta circa annos natus, Schlegel munere suo ea qua decet gravitate absque mora functus est. Relationes suas plurimas valide adhibet pro omnimodo profectu sui domus. In dioecesi magnam auctoritatem moralem statim obtinet. Et, quamvis sub respectu paupertatis religiosae et vitae communis praxes in usu essent, quae aegre componi possunt cum iure hodierno ecclesiastico, modus agendi Schlegel in maximis perturbationibus religiosis quae statim regionem illam agitabant sufficienter probant ipsum quam maxime addictum fuisse et remanere religioni catholicae stricte traditionali. Quando alii Abbates regionis, uti Egenstorfer et Russinger statim partibus Zwingli adhaerebant, alii vero diu dubitabant, Schlegel, « rang sich durch zu einem unerschrockenen und zähen Verteidiger des alten Glaubens. Diesen Weg zu finden und ihm treu bis zum Tode zu folgen, war ihm nicht leicht gefallen. Auch er war humanistisch gut gebildet und von einer tiefen Sehnsucht nach einer Gesundung der Kirche erfüllt. Auch er jubelte anfänglich über das Auftreten Luthers » (p. 26). Annis 1520-1521 bis peste afficitur. Tandem versus initium anni 1523, clare perspicit quaenam sit tendentia fundamentalis Lutheri et Zwingli et sese aperte declarat adversarium Reformatorum. Interim in propria sua Abbazia, religiosi aliqui, uti Wolfgangus Ulimann ; Christianus Hartmann ; Mathias Herwart orto Protestantismo publice adhaerent. Ipse Schlegel vero firmiter fidelis remanet doctrinae et traditioni Ecclesiae.

Episcopus Curiensis, Paulus Ziegler, non eminet fortitudine ; jam anno 1524, diaecesim suam relinquit ; defensores verae fidei in sua diaecesi soli pugnare debent contra invadentem Reformationem. Abbas Schlegel magis magisque in dies Reformatorebus sese opponit et quidem potissimum sub respectu doctrinali.

Res eo devenerunt, ut 7-9 Januarii 1526, in Ilanz publica disputatio religiosa institueretur inter Reformatores et Catholicos. In hac disputatione, Schlegel erat, citra omne dubium, praecipuus antesignanus catholicorum. Exinde ira Reformatorum valde excrescit contra Schlegel. Sub respectu stricte religioso quidem non valet multa obtinere Abbas noster ; sub respectu politico eventuum aetatis illius

multa ad exitum felicem deducere potest. Dum episcopus potius factioni austriacae favet, Schlegel censet factionem gallicam multo magis procurare posse in bonum verae fidei.

Influxus Reformationum in vitam civilem crevit non modicum ; exinde dominationem suam ita extenderunt ut omnis cultus publicus catholicus in urbe Curiensi vetaretur. Finiente anno 1526 celebratio S. Missae vetatur in ecclesia paraeciali S. Regulae ; ineunte anno 1527, etiam in ecclesia S. Martini. Missae adhuc celebrabantur in ecclesia fratrum Praedicatorum S. Nicolai, in ecclesia abbatiali S. Lucii, et in ecclesia cathedrali.

Reformatores vero Curienses, sub ductu Commander, non erant satisfacti de illa dimidiata victoria ; die 3 Februarii 1528, Commander exclamabat cultum catholicum omnem exulare debere e civitate et regione Curiensi. Quod autem, ratione praesentiae legati regis Gallorum, non statim obtinere potuit.

Episcopus Ziegler interim jam per quatuor annos absens erat. Capitulo cathedrali transmiserat obligationem defendendi iura episcopi et capituli. Cum colloquia instituerentur inter canonicos et episcopum ut huic statui miserrimo remedium ferri posset, Reformatores episcopum occidere intendebant. Quod ultimum ad effectum deducere non potuerunt. Episcopus Ziegler, haec omnia apprime sciens, fugam arripuit in regionem Tirolensem.

Vix octo dies transierant a fuga episcopi, cum abbas Schlegel, die 1 Januarii 1529, nocte in ipsa abbazia a Reformatorebus arripitur et catenis ferreis constrictus detinetur apud civem civitatis. Non improbabile videtur confratrem-apostatam, Mathiam Herwart, in hac violenta aggressionem partes activas habuisse, simul cum alio viro, quem paulo antea Schlegel e captivitate liberaverat. Constat vero, etiamsi haec proditio locum non habuisset, Abbati libertatem non amplius esse assecuratam. Defensio valida Sacrificii Missae ex parte Abbatis inimicitias quam profundissimas consilii civilis Urbis causaverat.

Abbas Schlegel ergo die 1 Januarii 1529 libertate privatur ; et die 23 eiusdem mensis Januarii morte violenta affectus est. Et quidem, post processum quemdam.

Patet maximi momenti esse, pro determinatione causae violentae occisionis Abbatis, cognoscere actus et decursum processus istius. Actus vero authentici processus istius practice nulli sunt. Maximum momentum tribuit auctor huius monographiae, Prof. Vasella, epis-

tolae missae a secellano in Feldkrich, Joanne a Winterthur, ad abbatem Jacobus Murer, abbatem Minoris Augiae (Weissenau). E qua sequitur Reformatores intentionem occisionis violentae abbatis Schlegel suscepisse, eo quod suspicabantur abbatem voluisse episcopum Ziegler adducere ad hoc ut muneri suo resignaret, ut hac ratione novus episcopus posset designari, et ita religio catholica in civitate restitui posset. Nolebant siquidem Reformatores religionem catholicam iterum introduci in regione in qua per maximam partem expulsa erat. In defensione religionis catholicae Abbas uti antesignanus habebatur. Potissimum celebrationem Sacrificii Missae, saltem in ecclesia abbatiali, servare intendebat.

Praeterea Abbas argentum abbatiae in alias regiones transtulerat; quod summopere a Reformatorebus reprobabatur.

Cum in urbe Curiensi notum factum esset Abbatem dolose in captivitate esse redactum, plures non dubitarunt in eius favorem et libertatem intercedere. Quae omnia in vanum facta sunt. Nam statutum erat: Abbas morti tradetur.

In epistola iam citata Jo. a Winterthur martyrium describitur, iuxta relationem ipsi factam a canonico Curiensi. Abbas iteratis vicibus coram plebe civitatis tortoribus traditur; fidem catholicam nullo modo renegavit, neque respondit quaestionibus sibi positis de epistolis sibi missis ab Angelo Medici, futuro Pio IV. In via publica caput Abbatis fuit amputatum, eo quod formidabant adversarii Abbatem, nimis debilitatum ex iis quae ultimis diebus illi erant afflicta, non amplius perventurum esse ad locum determinatum pro supplicio.

In fontibus historicis in quibus Reformatores sermonem faciunt de damnatione et morte Abbatis Schlegel ne verbum habent de ipsius pugna pro conservatione celebrationis Missae in civitate Curiensi. Damnatio illa iuxta illos esset reactio contra proditorem patriae, quasi patriam suam prodere voluisset guberniis regionum catholicarum. Huic affirmationi obiective responderi potest. Schlegel quidem tales conventus cum aliis regionibus defendisse, cum intentione salvandi religionem catholicam in propria. Quomodo talis intentio posset aequiparari cum patriae proditione?

Constat ulterius ipsum Zwingli, praecise iis diebus quibus abbas Schlegel captivus detinebatur, orationem quam maxime severam habuisse in Zurich, in quibus acriter invehebat in eos gubernatores

qui modo insufficienti, iuxta ipsum mentem, in religionem catholicam invehebant.

Omnibus examinatis, Prof. Vasella ita concludit : « Weshalb fiel der Abt Schlegel als einziger der Anklage auf Verrat zum Opfer ? Der Abt war der angesehenste und kühnste Verteidiger des alten Glaubens, gleich ausgezeichnet durch seine politische Begabung wie durch seinen persönlichen Mut. Er, dessen Geist den andern weit überlegen war, dem eben aus diesem Grunde Dinge zugemutet wurden, deren der Schwache niemals fähig erschien, war auch dank seiner sittlichen Reinheit der unbedingte Führer der Altgläubigen. Er hatte beharrlich den Mandaten des städtischen Rates getrotzt und ungeachtet all seiner Drohungen in furchtloser Haltung und steter Treue zu seinem Glauben täglich die Messe gefeiert. In den Augen des städtischen Rates, der angefeuert vom frischen Erlebnis einer ganz neuen Lehre nun meinte, überall die Mauern einer jahrhundertalten Tradition niederreißen zu müssen, und der Messe, dem Mysterium des alten Glaubens, keine Stätte mehr gönnen wollte, bedeutete das Verhalten des Abtes eine stolze Herausforderung... Er war der gefährlichste Gegner, der keine Schonung mehr fand » (p. 320 s.).

Abbate mortuo, novus vigor implevit catholicos regionis. Ex altera parte magna confusio orta est inter paucos confratres superstites Abbatiae S. Lucii. Pater-abbas S. Lucii, Abbas Roggenburgensis epistolam, anxietatem suam exprimentem, misit confratribus S. Lucii. Varii processus civiles moti sunt, ut constaret quinam deinceps essent proprietarii civiles bonorum Abbatiae. Nemo mirabitur finem Abbatiae mox adesse. Nec Bulla Summi Pontificis Pauli III, diei 12 Januarii 1542, Vicario generali Curiensi Bartholomaeo a Castelmur missa, potuit obtinere ut Abbatiae nova vita spiritualis infunderetur ; adiutorium validum ad talem restitutionem ab aliis abbatibus Praemonstratensibus concedi impossibile videbatur.

Liber a Prof. Castella conscriptus clare, obiective probavit abbatem Schlegel ab adversariis morti violentae traditum esse in odium fidei. Splendidum testimonium attulit clarus Professor in favorem illius quem, finiendo (pag. 359), optime nominat « den reinen und kompromisslosen Geist Abt Schlegels ».

J. B. VALVEKENS, O. Praem.